



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Sacramentis in genere

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## Tertia Pars huius undecimæ Accusationis.

*De aliis signis Christianæ Ecclesiæ videlicet Sacramentis.**De septenario numero Sacramentorum.**De Sacramentis in genere.*

## CAP. XXX.

**T**ERTIA principalis Accusatio in hoc articulo de Ecclesia, & vnitate Ecclesiæ, est de secunda nota Ecclesiarum Christi, nempe de Sacramentis. Et hinc quatuor reprehendunt Aduersarij, Primum est, Librum Reformationis septenarium numerum sacramentorum negligere, & ponere tantum binarium, reliquis verò quinque sacramentis derogare, quod à Domino instituta & præcepta sint. Alterum, Quod Liber extremam vñtionem penitus abradat. Tertium, Quod neget ordinationem esse opus solius episcopi. Quartum, quod vniuersalem formam laudabiliter huc vsque in administratione sacramentorum seruata mutet in vniuersum.

*Responsio.*

**P**rimum omnium ponunt Aduersarij: in Catholica Ecclesia ad hæc vsque tempora de sacramentis traditum fuisse, quòd sint inuisibilis gratiæ visibilia signa, à Christo aut Apostolis ex ipsius mandato instituta, quòdque sint eorù septē præcipua, &c. Librū verò ponere tantū duo.

Ad hoc respondetur: Quantum attinet ad descriptionem sacramentorum, quam adducunt: idem continetur in Libro, quod in descriptione, idque copiose tractatum, & clarè expressum habemus mandatum Domini. Sed de hoc paulò post dicendum erit.

Septenarium verò Sacramentorum numerum S. scriptura nullibi docet, quemadmodum nec antiqui patres. Quod verò Aduersarij nituntur eum quibusdam scripturis probare, inspiciantur illæ, ac simul teneatur Aduersariorum definitio, qua dicunt, Sacramenta esse inuisibilis gratiæ visibilia signa, ab ipso Domino instituta, & perspicuum erit, S. scripturam de duobus tantum visibilibus signis gratiæ Dei, & beatæ communicationis Christi, testari, nempe quæ Dominus ipse in euangelio Ecclesiæ suæ mandauit & instituit, quæ sunt, sacer Baptismus, & Cæna Domini. Quæ duo etiam D. Augustinus sola enumerat, quando loquitur de signis noui Testamenti, lib. de doctrina Christiana 3. cap. 9. Similiter faciunt & alij Patres.

*De Impositione manuum apud Confirmationem, Absolutionem, & Ordinationem.*

## CAP. XXX.

**I**mpositionē manuum Dominus ipse quidē vsurpauit, & Apostoli eius, ad nihil verò adhibendā perceperunt, sicut Baptismū & S. Cæna. Verisimile quidem est Apostolos hoc signum sine mandato Domini, vel ore, vel arcano quodam instinctu